

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich**

Argentorati, 1705


urn:nbn:de:bsz:31-105832

III

Gymn 4770

~~I B 2 12~~

g 9160



I. N. J.
DE

CONVENTICULIS.

Disputatio Theologica Prior
eaque HISTORICA,

Quam
Adspirante Divini Numinis Gratia

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS NICOLAI
HARDTSCHMIDII,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Capit. Thom. Canon.
& Ecclesiastæ,

DN. Patroni, Fautoris atq; Præceptoris sui
omni pietatis genere nunquam non summe colendi

In Patria Argentoratensium Universitate
pro Viribus in Auditorio Solenni
est defensus

M. JOHANNES à GOTTESHEIM, Argent.
SS. Theol. Cultor,

Ad diem in Mens. Aug. Anno 1705.
horis consuetis in Audit. Majori.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

25 am Gym 4770

V I R O
N O B I L I S S I M O
D O M I N O
J O H . C H R I S T O P H O R O
G A M B S I O ,

Mercatori inter Argentinenses
Florentissimo,
Civium Spectatissimo,

*Domino Patrono & Evergetæ
post fata, utinam sera! summa animi
veneratione colendo*

Disputationem hanc Theologicam, ea qua par est
observantia, pro tot tantisque privatim exhibitis varii Generis
beneficiis, & benevolo animi Favore, publicum grati animi
Testimonium, in ulteriorem commendationem
litare atque consecrare voluit,
debut

Tanti Benefactoris

Observantis. Cultor

M. JOHANNES à GOTTESHEIM, Argent.
Disp. Resp.



I. N. J.

Proœmium.

JUcundâ memoriâ gratissimâque mente semper recordor ejus, quod Illustris & Magnificus Dn. Obrechtus, cum Anno 1677. d. 5. Aprilis sub ejus Præsidio de Legionē Fulminatrice solemniter disputarem, §. I. scripsit: *Dua precipua in Historiarum scriptore virtutes sunt, ne quid falsi dicere audeat, & ne quid veri dicere non audeat:* Dixerim ego & has virtutes Theologi esse, quas in hac scriptione imitari volui. Cum enim Præstantissimi DNN. M. M. Respondentes Auditores mei ut Diligentissimi ita & Dilectissimi, de *Conventiculis* disputationem Academicam flagitarent, eamque præsens temporum status postularret, officio meo satisfactorius, petito non potui deesse. Quæ igitur scopo nostro servire videbantur, congeffi in chartam, non aliâ mente, quam ut Theologiæ Consecrancis scripto constaret, quo loco temporum nostrorum controversiæ habendæ, & quomodo in Ecclesia tanquam Domo DEI, ad promovendam DEI gloriam conversari debeat fidus DEI minister. JESUS, in cujus nomine hoc suscepimus nutu suo clementissimo, cœpta secundet!

A 2

§. I.

§. 1.

§. 1.
Ordo.

Universam tractationem nostram de *Conventibus & Conventiculis* in duo Capita dispescemus, quorum prius *Historiam* quandam, sed brevem tantum & nostro instituto commodam enarrabit: alterum vero *Judicium Theologicum* subjunget, de his, è quibus judicium ferri poterit facile, de iis quæ affinitatem quandam cum nostris habent. *Historicam* autem Narrationem quod spectat, exponet ea conventus illos vel *Veterum*, vel *Modernorum*, cumque & *publici* fuerint conventus & *privati* de illis breviter, prolixius autem de his acturi sumus; unde totius tractationis *Oeconomiam* facile licebit animadvertere.

§. 2.

CAP. I.
Historicū.
de
antiquis.
§. 2.
Quod fuerint.

Conventus *Veterum* in Ecclesia primitiva fuisse & quidem sæculo statim primo, non tantum Apostolorum acta, sed Pauli Epistolæ satis testantur. Act. enim c.II. v. 1, 14. *Pentecostes die congregati erant uno animo.* & 1. Corinth. XI. ipsos Corinthios conventus publicos habuisse, aperte satis Apostolus significat, sicut & ex hoc Conventuum publicorum jus quoddam colligi possit ex praxi Apostolica petitum, de quo forte aliàs D. V. sed nec sequentibus sæculis abrogati sunt conventus, & Cætus Christianorum publici, quemadmodum ex Historia Ecclesiastica singulorum sæculorum illud facile est intelligere.

§. 3.

§. 3.
Publici.

Ut autem, quid intelligamus per *publicos* Conventus, sciatur. *Publicum* hoc loco nobis non est, quicquid Persona una aliqua publica facit; quemadmodum abusus hujus vocis & acceptionis nonnullis ad palliandos errores adhibetur; sed *publicum* dicitur hoc loco partim ratione *loci*, partim ratione auctoritatis & personarum, vel membrorum Cætus & Conventus. Quo sensu in V. T. *publicum* Conventum dicimus v. g. Hierosolymis extracto Templo actum à Judæis vel universis, vel pluribus, idque mandato Divino ipsis Sacerdotibus & Levitis divina auctoritate ministrantibus Altari, ordinibus in specie

cie à Davide institutis & descriptis 1. Chron. cc. 24, 25, & hac ratione publicus nobis dicitur Ecclesie conventus.

§. 4.

Equidem in primitiva Ecclesia publica magnifice extracta Templum Christianis non fuisse palam est, aliaque occasione etiam à nobis monitum: & recte videntur Centuriatores Cent. I. lib. 2. c. 6. fol. 378. *asseruisse nusquam in scriptis Apostolorum legi quicquam de templis Magnificis*, quanquam loca habuisse ubi conventus suos agerent Christiani, ex historia satis certum est. Unde & Centuriat. Cent. III. c. 6. f. 84. postquam docuissent jam tum in Asia certos fuisse *Cœtuum locos quos Ecclesie dixerint*, teste Eusebio, ex eodem referunt, jam ante Persecutionem Diocletiani Christianos oratoria sua habuisse; & Tertullianum quoque l. 2. ad *Ux. publicorum Conventuum aliquoties non obscure meminisse*. Quotum & referenda Censemus quæ Spondanus ad Ann. Baron. ad ann. Christi 57. n. 30. f. 84. notat: *compositis omnibus, quod reliquum videbatur, qui in Ecclesiam convenirent, agere deberent, (Paulus) instituit*. Ex quibus satis intelligitur fuisse etiam Apostolorum temporibus loca, quæ Ecclesie nominarent, in quæ Christiani ad synaxin convenirent, quod & plurimis ejusdem temporis scriptoris Ignatii expressis testimoniis confirmatur. — Antequam eas novas licuisset erigere, privatas domus, ampliora videlicet earum membra, quæ Cœnacula dicebantur in locis superioribus constructa ejusmodi ministerio inservisse S. Lucas manifestat. Sic convenisse Christianos ad Quercum Mamre Cent. IV. fol. 888. Magdeburgenses memorant; & f. 227. ad loca mediocriter extracta ante Constantinum & in Cœmiteriis, iidem dicto loco recensent. Conventus ille dicebatur *Sanctorum Communio* Cent. 5. c. 6. f. 356. sic conveniebant uno die hebdomadis Cent. 6. fol. 180. sæculo septimo autem jam passim sit templorum mentis conf. subsequentiæ sæculorum historiam; è quibus id satis apparet, quod jam tum in primitiva Ecclesia Christiani loca habuerunt, ubi publicos Conventus agebant, si quando licebat. Atque ita non is dicitur nobis statim privatus Conventus, qui in privatis ædibus instituitur, siquidem publici etiam congressus fiebant in privatis ædibus, notante Programme

§. 4.
Locus.

A 3

Lips.

Lips. Pentecost. anno 1691. Et lubet illustrationis gratia hic addere, quæ D. Hildebrand. de precibus Veterum Christianorum notavit c. XI. p. 18. *Tempore Calixti, qui Cathedram Rome anno Christi 221. tenuit, ob crebras Persecutiones sacra omnia erant occulta & sacella potius atq; eadem abdita & plerumq; subterranea, quam ut apertis in locis & publicis preces & cetera sacra fierent, scribit Platina; Gabriel Biel in Can. Miss. Lect. 13. ex Alexandro Alensi refert à tempore Petri usq; ad tempora Sylvestri, hoc est, usq; in quartum seculum Christianis Roma non tantum in privatis adibus vel in cryptis, ut reliqua sacra sic & preces habuisse, & ligneum altare instar arcæ concavum de una domo in aliam, de crypta in cryptam circumgestasse in quacunq; Episcopus delituerit: Et Cap. 19. p. 27. Ex quo DEUS O. M. sub Constantino M. Ecclesiam respirare fecit, passim locorum Basilica & Kyriaca, qua voce Germani vocant Kirchen/ vel edes dominica quas Germani hodiernum per apharesin vocant Dohm vel Dohm Kirchen/ satù magnifica & illustres erecta sunt, ut ad cetera Ecclesiastica officia ita cum primis ad preces publicas destinata sunt: Hactenus D. Hildebrandus,*

§. 5.
*Persona &
membra.*

§. 5.
Apostolos Ecclesiæ primæ doctores illis interfuisse ex supra jam dictis constare potest; neque dubium sequentibus sæculis iisdem Doctores publicosque Ecclesiæ ministros adhibitos fuisse: Et Christiani singuli publicè conveniebant, ut esset vera Communio Sanctorum, ex variis ordinibus, viris, mulieribus, senibus, juvenibus, doctis & indoctis Cent. Cent. I. c. 2. p. 379. quibus & Politicus ordo accessit, quando Constantinus M. ipse Imperator Christianus factus est; quod si ante hæc tempora quidam ex Magistratibus conversi erant, illi quidem verorum Christianorum nomine computabantur, potestate tamen & officio Magistratuum ab Ethnicis Principibus mox exuebantur: post hæc autem ipsos quoque Christianos Magistratus congressibus sacris publicis, interfuisse, plurquam notum est.

§. 6.
Tempus.

§. 6.
Christianorum conventus initio quidem temporibus certis non alligabantur, siquidem quotidie in templo perseverabant

bant unanimiter, Act. c. 2. & 5. habebant congressus suos nocturnos diurnosque Act. 20. In specie tamen die Sabbathi convenisse ipsis quoque Judæis congregatis colligitur ex Act. 13. & c. 17. Sæculo secundo etiam solennes erant Conventus quando ex Gentibus conversus ad fidem Christianam, baptizabatur, qua de re placet audire Cent. 2. fol. 86. *Fuisse publicos Christianorum & honestos ac pios Conventus, historia tum horum, tum aliorum temporum testantur; sed quando, & quam crebrò convenire soliti sint, non ita clare exprimitur. Plinij Epistol. ad Trajanum quam supra adduximus, matutinorum conventuum meminit. Ex Justinii vero descriptione aliquo modo intelligi potest; duo fuisse illis præcipua in publicum conveniendi tempora. Primum in baptizazione alicujus qui ab Ethnicis ad Christianam fidem conversus erat: tunc enim sicut ex ea descriptione clare liquet, convenire soliti sunt, deinde diebus Dominicis, quos festivos fuisse, etiam Dionysius Corinthius meminit apud Euseb. l. IV. c. 23. Pergunt, sicut autem de tempore congressuum non satis certa haberi possunt: ita de locis in quos convenerint, longe incertiora. Nec temporibus certis, nec locis Christianorum cultus alligati fuerunt, sed tempus indixisse videtur necessitas aut Consuetudo: locum vero monstrasse commoditas. Sæculo tertio non festis tantum diebus, verum etiam aliis convenire solitos ad audiendum verbum, ex Origine colligere licet; ut & objurgarentur, qui festis tantum diebus ad Ecclesiam concurrebant. Cent. III. c. 6. fol. 84. sæculo quarto habebant locos mediocriter extructos, quos vocabant Oratoria, templa, Basilicas. Constantinus tabernaculum, in bello ad Templi formam statuit. Cent. IV. c. 6. f. 128. tempus erat antelucanum, noctu, ad vesperam Sabbathi. ibid. fol. 230.*

§. 7.

Quid vero egerint Christiani in istis Conventibus ex historia facillimè etiam cognoscitur: legebant scilicet verbum DEI, canebant, concionabantur lingua nota: orabant, ministrabant baptismum, fiebant Lectiones, canebant hymnos, uti ex sæc. I. usque ad XI. ostendunt Centuriatores. Et quemadmodum initio nascentis Ecclesiæ cultus divinus majorem spirabat simplicitatem & puritatem, uti ex actis Apostolicis præci-

§. 7.
Actiones.

constat: ita progressu temporis factum est, ut novis ritibus, precibus & actionibus additis paulatim ab illa simplicitate deflecterent Christiani, quando præsertim cessantibus persecutionibus pax Christianis reddita, & consilia humana tepescerent hominum animos actionibus variis accendere laborarunt; donec non sine superstitione tandem res in immensum excrevit, adeo, ut conciones, hortationes, & quæ veteribus sueta Lingua vernacula, vel nota saltem, sacra pene cessarent, novis pro Clero potius, quam plebe, ritibus substitutis: de quibus prolixè h.l. nostrum non est agere.

§. 8.
De privatis.

§. 8.

De privatis potius antiquorum congressibus & conventibus, ut propius ad nostrum institutum accedamus, jam quædam commemoranda sunt: Quibus Conventibus sacris privatis accensimus illos, quando Paterfamilias collectis in unum domesticis suis, vel legebat scripturam, vel etiam, (prout in primitiva Ecclesia dona extraordinaria in usu erant) concionabatur, hortabatur, & solabatur suos. Sic alios quoque Christianos in primitiva Ecclesia convenisse ex necessitate, imminente persecutione, defectu Magistratus, quandoque & ministrorum Ecclesiæ, aliisque de causis nec negari potest, nec debet. Quandoquidem sævitia persecutorum non permittebat publicos Cœtus, quandoque disturbabat, sicut & de verbo DEI Virgines loquerentur ad lanam. Ob objecta namq; ab Ethnicis crimina discutienda, serio ac diligenti studio verbum DEI discendi, propagandi que ad alios, tum ministri, tum auditores pariter tenebantur. Ac testatur Tatiānus omnem apud Christianos ætatem atq; ordinem philosophari. Ac in ipsis quidem qui tum grassabantur persecutionum fluctibus, necessitas eos ipsa impulisse videtur. --- Charitas præterea & dilectio magna, inter eos fervens erat; castitasq; justitiæ, honestati, veracitati, beneficentiæ, patientiæ, longanimitati & id genus aliis virtutibus impense studebant: invicem sibi compatientes, seq; mutuo consolationibus in calamitatibus erigentes, & in afflictionibus confirmantes. Hoc denique omnium commune erat studium, ut alij alios instituendo, admonendo, corrigendo, & objurando edificarent melioresq; redderent. Haecenus Centuriat. Cent. II. c. 6. f. 92.

§. 9.

§. 9.

Licebit hinc, ut spero, facile iudicium ferre de privatis olim apud Christianos congressibus, quod vel in ædibus privatis instituti, qui tamen non semper à loco privati dicendi sunt, cum publico præsertim Ecclesiæ Consilio ibidem instituebantur, & hi quidem publicis Ecclesiæ & Ministrorum Constitutionibus alligabantur. Quando vero unusquisque Paterfamilias vel domi suos instruebat, vel postquam Ecclesiæ paulum respirare à persecutionibus datum est, iis in locis instituebantur, quæ vel Monasteria, vel alias plurium collectorum ædes dicebantur, suis tamen quibusdam legibus adstringebantur, quæ nec ab Ecclesiæ institutis abhorrebant, nec publico Ecclesiæ decreto, vel voluntati renitebantur; ejusque erant valoris, ut pro temporum aliarumque circumstantiarum varietate vel saltem mutarentur in melius, vel plane tollerentur.

§. 9.
Locus.

§. 10.

Cum hæc bono fine & ordine primitus instituta essent salubriter, lapsu temporum cum pax alta Ecclesiæ divinitus est concessa, ut fieri solet, ed tandem incuria hominum rem devenisse, ut penes Monasteria & Clericos sere sola esset fidelium, vel etiam ipsorum tantum Clericorum institutio, negandum non est; Id enim clamat sæculorum 9, 10, sqq. barbaries, & testata suat abundè, quæ secuta sunt ingentes tenebræ, & Scholasticorum scripta, quibus sibi sapientes, miris speculationibus res divinas intricabant, aded, ut tandem penes ipsos solos religio stare videretur, & ipsorum decretis, omnis turba rerum sacrarum ignara penitus, tanquam divinis placitis acquiesceret. Quo factum, ut qui Laici dicuntur, vel non possent, vel non auderent de rebus fidei iudicium ullum ferre, ne viderentur falcem misisse in alienam messem, ut tandem in Legem quandam evaserit, fas non esse Laicis de rebus fidei, vel disserere, vel iudicare, idque contra Christi & Apostolorum monita, quæ sua propria fide justum victurum docent, unumquemque sibi cavere præcipiunt, & serio hortantur, ut paratus sit quivis ad reddendam rationem fidei & spei quæ in ipso est.

§. 10.
Finis &
Ordo.

B

Et

Et ita quidem in defectu tūm peccatum est hominum incuria, partim & aliorum dominandi cupiditate; quod peccatum utrumque DEUS ea infelicitate temporum ultus est, ut plurimi cæco quasi obsequio venerarentur, quicquid credendum, vel faciendum ab Ecclesiasticis obtrudebatur.

§. 11.
probat.

§. 11. Infelicitatem labentium sæculorum, quam in compendio quasi brevissimis exhibui, lubet paucis historicorum testimoniis confirmare. Octavo sæculo cum Beda scriberet Exposit. Allegor. in Sam. l. 4. c. 2. ita queritur; *videat Lector nec sine lachrymis rem lachrymæ dignam contempletur, quantum Ecclesia status ad pejora quotidie, vel, ut mihi dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Ita D. Calixt. de Statu rerum in Ecclesia Occid. sæculis 8, 9, 10. & deinceps. Quid ipse Genebrardus l. 4. Chronograph. veritate convictus de miseria Ecclesiæ per 150. annos testetur, exhibet idem D. Calixt. l. c. §. 27. addit ex Stapletoni Relect. contr. quæst. 5. art. 3. verba sequentia D. Calixtus: *vix ullum peccatum cogitari potest, sola hæresi excepta, quo illa sedes ruperit maculata non fuerit, maxime ab anno octingentesimo.* Et §. 58. Ex Baronio hæc commemorat: *Seculum nonum finiens dicit ipsum Romano Ecclesiæ ob intestina eademq; implacabilia bella, in ipso sinu Romana Ecclesiæ agitari cœpta, cæteris lugubris & funestius esse redditum, stertentibus videlicet omnibus, quibus ad regimen erat vigilandum, imo iisdem ipsis, ut Apostolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur, operam dantibus.* Plura equidem D. Calixtus tractatu cit. habet, sed studio non addam cum & hæc instituto nostro sufficere existimem, ubi ostensum satis est, injuria temporis, cum omnia in pejus ruerent, effectum tandem esse, ut necessitate compulsi Christiani, ingemiscientes malis grassantibus, privatos instituerent congressus, ut cum publice non liceret, privatim se mutuo hortarentur, admonerent, ædificarent, ut faciebant similiter primi Christiani persecutionibus pressi. 1. Thess. 5, 11.

§. 12.
abusus &
de moder-
nis occasio.

§. 12. Cum vero ex hoc capite necessitatis non possent improbari Congressus privati, illa deinceps cessante in extremum alterum

eram declinavit h
gressus averarentur
deni de alii. Hinc
ambipolite ejusmodi
erent, dum Domini
Papatu/ aliisque in l
his cœteribus Ecclesi
tu proficillum ministr
tu, de quavis ferè sacr
tus decretis panis
cocere cogetur.
174. mandatum d. 2
tore threm Schein v
tum fürgeben &c.
tum furor dederit,
tu Relig. L. V. f
ctus hic fanaticoru
& vicinas region
thri Dn. D. Præsid
tam p. 6. §. 2. de B
ntiam potestatem h
tu excommunicandi.
numenta administran
cessitate instituti deg
m tamen doctrinæ fi
seria libertas, und
tate, haurirent; at
congressus tanquam
tate.

Videbantur ista ja
tem imperio exting
vicina repullularen
tione forte non mal
tinas, integrasque
tate meis verbis hoc

terum declinavit hominum superstitio, adeo ut publicos congressus averfarentur & damnarent sanctuli, Anabaptista, Quackeri & alii. Hinc factum ut & in nostra urbe 1527. sqq. Anabaptista ejusmodi conventus instituerent, secessusque facerent, dum Dominicis etiam diebus extra urbem *auff der Gantzaw* aliisque in locis sacra sua peragerent, posthabitis publicis cœtibus Ecclesiasticis; quod eò tandem abiit, ut conviciis proscissum ministerium Ecclesiasticum contemptui haberetur, & quivis ferè sacra sibi facere auderet, & Magistratus Inchytylus decretis pœnilisque severioribus ejusmodi petulantiam coërcere cogeretur. vid. in Agend. Eccles. Argent. Edit. Vet. p. 324. mandatum d. 27. Junij 1527. von den Widertäuffern so unter ihrem Schein vor andern Christen ein fromm Leben zu führen sürgeben &c. Quas turbas Müntzeri aliorumque fanaticorum furor dederit, notum est abunde, refertq; Sleidanus de Statu Relig. L. V. f. 65. sqq. Subsequentibus temporibus ejectus hic fanaticorum Spiritus trans mare migravit Angliam que & vicinas regiones infestavit; dabimus pauca ex Ven. Nostri Dn. D. Præsidis Dn. D. Zentgravii Colluvie Quackerorum p. 6. §. 2. de Brovvnistis, hi statuerunt, *quodlibet Ecclesie membrum potestatem habere concionandi, publicè admonendi; ac ceteros excommunicandi. Et quidam privatis, dederunt potestatem sacramenta administrandi &c.* atque sic congressus privati ex necessitate instituti degenerarunt in conventicula fanaticorum; cum tamen doctrinæ suæ puritas & ministerio publico restituta esset sua libertas, unde satis haberent, quod veritatis sitientes anima, haurirent; atque sic ut publico cultu neglecto privati isti congressus tanquam majore sanctitate ornati, male preferrentur.

§. 13.

Videbantur ista jamjam interitura, vel jam in Germania saltem superiore extincta esse, cum ecce superiori seculo in urbe vicina repullularent conventus privati unius alteriusve intentione forte non mali, sed qui tandem turbas ibidem dedere plurimas, integrasque regiones peragrarunt: Malo aliorum quam meis verbis hoc depingere: *Programma Lipsiensis Academ.*

B 2

ad

§. 13.

ad recolendam Reformationis Ecclesiasticae memoriam anno 1690. d. 30. Octobris perscriptum, paginis ultimis hæc habet: In Ministerium verbi feroci incurritur impetu & methodus in Ecclesia publice docendi legibus Ecclesiasticis ad Lutheri mentem sapienter demandata, nondum scilicet adificationi sufficiens, reprehenditur, quasi Pastorum nemo officio satisfaciat suo, nisi & antecessores suos Curis, vigiliis laboribusque vincere conetur, & plebem promiscuam ad privatam rerum divinarum tractationem pietati implantanda magis idoneam in domum suam invitet; & ipse se in ades auditorum intrudat observaturus earum vivendi rationem. &c. Et in Programme Pentecostali 1691. statim ab initio conqueruntur his verbis: Augusta illa Apostolorum & ceterorum Christi discipulorum, ipsiusque Matris Mariae promissam Spiritus S. effusionem *ἡμεῖς ὑμᾶς δὲ* expectantium & impetrantium congregatio, conventus è perversa istius emulatione institutos, quibus abhinc biennio Academia nostra turbata tantumque non infamata fuit, jam Pentecostem celebraturis in memoriam revocat. Nam Juvenes quidam bonis studiis addicti studia coeperunt averfari, & Acroasibus Doctorum insuper habitis, quasi ab eodem in Apostolos mirifice illapso igne illuminandi statim temporibus conveniunt, ut privata scripturarum, quam sibi quisque sungebat, meditationi ad persequenda pietatis exercitia vacarent. Mox alios in societatem suo Syrenum cantu maleferiati illexerunt, donec aucto subinde numero, centeni coirent, & ascitis in communionem mercatoribus, opificibus, mulierculis, virginibus & quotquot ex infima populi fece conquiri poterant, passim in urbis angulis clandestinae pietatis Scholae ignava opera frequentarentur. In iis primum preces fundebant: deinde Caput è N. T. codice pro suo quisque captu ac modulo interpretati, singula ad pietatis, hoc est, ut illi intelligunt, vitæ inculcata sanctèque & interiori homini convenienter transigenda Cultum collatis symbolis applicabant: postea se admonebant invicem ad Regularum quas ipsi præscripserant observationem, in communi potissimum vitæ necessariam: erant etiam qui dubia moverent à perfectioribus & luce majori collustratis fraterculis expedienda, denique conventum precibus solvebant. Sic omnia ad fallendum piis fraudibus imposita, quæ ut eo feliciter procederent, persuadebant sibi, aliisque parum providis conventus istos ab ipso Christo institutos Matth. 18, 20. Hebr. 10, 24, 25.

Hæc

Hæc sacra dum vel
reus quidam probus
i rebus humanis exi
que scribebantur, po
noris, qui pietatis di
n audiam esse —
librum ponebant
nummum seculi volupt
ni sui, permittos mir
pudenteribus esse, s
tam, cui vel solam p
scriptam ac post de
latur tunc insuper a

Uæ hæc, quæ p
pulo plenius deduc
end. Sept. St. V. M
Cæcæ nomen attin
tam quendam studio
cæcæ sicut existim
atque in studiis al

Si pietas per
Si pietas

Ne vero quisquam re
confutatur — Eorum
mitudo, quavis bebo
Hæc sine capite, sine B
tum, agitabantur
piis, utique coisus a
tu a — — — — — vel
quæ. Iis portenta
piis audiri. — — —
Tanta incendio crem
lures complures —
conferrentur, alim

Hæc sacra dum veluti in cuniculis occulte peragebantur, accidit ut juvenis quidam probus, diligens & doctus, sed torrente simul illo abreptus è rebus humanis eximeretur, cui cum justa faceremus inter epicadica qua scribebantur, post beatam demum mortem primus elogio Poëta meruit, qui pietista diceretur, cum ante tempus illud nomen hoc nemini auditum esset — Quanquam vero affectata hac sanctitate se ad ludibrium ponebant commilitonum, qui non paucos eorum antehac nimium seculi voluptatibus noverant deditos jamq̃, tam repente Divis scil. permixtos mirabantur, res tamen minime jocularis videbatur prudentioribus esse, sed ad periculosum schisma & factionem parare viam, cui vel solum pietismi nomen tanta prius cum delectatione assumptum ac post declinari cœptum satis accomodatum erat. Prodebantur tunc insuper arcana in Conventiculis clam tradi solita.

§. 14.

§. 14.

Ut hæc, quæ programma Lipsiense publicum recensuit, paulo plenius deducantur, ex amici cujuldam literis prid. Calend. Sept. St. V. MDCXC. Lipsiâ ad me scriptis illustrabo: Quantum nomen attinet D. L. F. ita primus in Carmine funebri, mortuum quendam studiosum, appellavit. Postea quod nonnulli de eo carmine secus existimarunt, in alio quodam se Pietistam fassus est, atq̃, in studiosorum alba distichon hoc cœpit adscribere:

Si pietas pergrata DEO, pergrata piissq̃
Sis pietista DEO, sis Pietista piis.

Nec vero quisquam reliquorum Pietistarum magnopere nomen illud aversabatur — Eorum — — Lipsiam venire. Varia studiosorum multitudo, quavis hebdomade semel in adibus D. — — Confluebat. Hæc sine capite, sine Rectore turba, collegium nominabatur Philobiblicum. agitabantur ibi sermonibus certi atq̃, constituti textus Biblici, proq̃, unius cujusvis arbitrio explicabantur; observatis tamen aliquibus a — — vel præscriptis vel confirmatis collegij regulis legibusque. Ibi portenta cogitationum, monstra vero interpretationum sapius audivi. — — Tunc vel miraculi surgebat rumor. Non procul Lipsia incendio crematas ajebant nobilis cujuldam edes, & in adibus libros complures — — quendam autem cum reliqui libri flammis non consumerentur, alius non solum evolasse, sed & in pectus, nescio cujus

decidisse. Redibat --- quidam --- --- hic antequam iter illud ingrederetur, Pietistarum partibus addictus erat: Redux factus non satis habebat, cætus ante dictos obire, sed novum quasi ludum sacrarum literarum aperuit. Cujus imitari mox alij exemplum, collegia Philobiblica multiplici numero augebant. Quilibet cætera rudis, interpres sibi scripturæ sacræ videbatur. --- Circiter hoc tempus pietistarum nomen cæpit innotescere. Sed nova cælestem doctrinam applicandi ratio vel ipsi --- placebat. --- Jam in vulgus emanare res cæpit M. F. ad cœnam in vitari; homines suspicere nova; se ipsos ingredientes mirari, posthabitis rite vocatis pastoribus & ministris Ecclesiæ. Vidi --- ingurgitem illum abripi. Vidi muneribus Ecclesiasticis ante alios præfici, qui nihil animo boni medicabantur. Vidi -- cum proficisceretur comitem Pietistam adjungi. Vidi -- aditus viasq; omnes irripenti malo patefacere. Dictus Dn. -- mordebantur quicumq; vim erumpentem comprimere atq; turbatores istos in ordinem cogere parabant. --- Neq; finis erat, nec modus Collegiorum Philobiblicorum. aderant sartores, futores, molitores --- Et jam publicè pietistica, ut ita loquar, prælegere, suo more Theologos verborum contumelis lacera-re. Hæc tamdiu faciebant, donec à Serenissimo Electore Lipsiam diploma missum. -- Habes quæ de Pietistis mihi nota sunt, non ficta, non inania, non ementita, vera omnia, certa, explorata. Hactenus amicus non fucatus, sed syncerus & honorandus; unde de Origine conventiculorum satis constare potest apud Lipsienses. Nec alio fere modo apud nos instituti ratio innotescere & promoveri cæpit.

§. 15.
apud nos:
Auctores.
Krafft.

§. 15.
Anno enim 1700. ad nos venit quidam **Johann Heinrich Krafft** initio tutor, post ære alieno gravatus miles, tandem & in Hassia Ludimoderator factus, is sive sponte ad nos accesserit, sive aliorum instinctu, magnas deinde turbas dedit. Videbatur magnam præ se ferre pietatem, certè licet nec opificio, nec mercaturæ sedulam aut seriam daret operam, pecunia tamen paratâ non carebat; in ædibus suis privatos agebat conventus, & informatione liberorum quorundam insinua-bat se aliquorum animis. Hinc natura hominum novitatis avida, nonnullos pellexit, ut interessent Conventiculis & hausta
cx

ex lacuna futoris aquâ impurâ mire sibi placerent, tanquam tum demum verè Christiani futuri. Commendabatur libellus ab ipso scriptus quibusdam quæstionibus de passione Domini, & videbatur illo libello plus sapuisse quam viginti pastores; sed revera in illis paucis pagellis, præter id quod quotidie in nostris Concionibus, examinibus & libellis Catecheticis, novî nihil continebatur, nisi phrasæ quædam incommodæ, & de fide, vel parum, vel nihil.

§. 16.

Cum hic apud nos novaturire desuisset, **Michael Necker** / **lin** / initio sartor, post caputiorum confector magistri sui vestigia accurate præmere cœpit, præsertim, postquam defuncta uxore priore duxisset Krafftii ancillam, quam ille secum adduxerat. Nec defuerunt tum studiosi ab exteris reduces, qui ita clam docebant, & publice negabant, hujusque hominis conatus mira arte simulandi dissimulandique juvabant, & promovere studebant. Is in ædibus habebat cubiculum in interiore domus parte, in quo conveniebant puellæ, mulieres, viri & Juvenes, ex plebe fere omnes, nisi quod nonnulli studiosi se immiscebant, quorum vita quidem priorum temporum, non referebat istam austeram sanctitatem, sed tum demum, cum (ut loquebantur) cœperant illuminari & renovari. Et hi juvenes imperiti, quod hoc studiorum genere innotescere & inclarescere putabantur, clandestinis artibus etiam hoc suum virus aliis propinabant, quod paulatim multos & aliàs doctos adolescentes invadere cœpit, idque tam diu, donec non sine maximo scandalo res plane in vulgus emanaret, quo & huic novæ sectæ promotori silentium est impositum eo fato, de quo deinceps dicemus.

§. 16.
Neckerlin.

§. 17.

Dum hæc aguntur **Job. Fridericus Klein** SS. Theologiæ quondam Studiosus, furore quodam, nescio quo, correptus, publice & pro Concione cœpit sectæ hujus placita proponere, in vitia invehi, præcipuè tum in ministerium dirè grassabatur; dicebat quod audiverat, sive verum sive falsum, & quod non dixerat, dictum tamen cupiebat. Conciones ultra tempus extrahebat,
moni-

§. 17.
Klein.

monitus respondebat, se spiritu urgeri, ut desistere nequiret; incedebat vultu tristi, cultu simplici & ad speciem composito, commercium illi intimius cum nemine, nisi sua sectæ cultoribus. Omissis literis fere semper cantabat stercorei ingenii homo, qui eo progressus est, ut & cujusdam ancillæ pudicitiam tentare voluisse, certò diceretur, testibus viris honestis. Turbavit hic juvenis imperitus plurima privatim & publice in Ecclesia, donec coram Facultate examinatus errores nec revocare, nec omittere voluit, & hinc ab officio remòtus est. Ipsi vero sectarii in conventiculo quodam fatebantur, *Kleinium* superiorum hortatu motum, voluisse ab incepto desistere, sed ab ipsis confirmatum, ut pœnitentiam quam animo agitabat, omitteret, & contumax expectaret justam Magistratus censuram.

§. 18.

§. 18.
Haug.

Quanto impudentior *Kleinus*, tantò callidior *Joh. Fridericus Haug* SS. Theologiæ olim quoque Stud. idem institutum urgebat, eoque majore ausu pariter & successu quo doctior, & literis humanioribus partim, partim & Theologicis instructus erat. Mysticis ille & Arnoldi scriptis non tantum totum se dedebat, systemata habebat insuper, disputandi artem, quam calluerat, videbatur voluisse dediscere: convitiis proscindebat dissentientes, in vitia præsertim ministrorum, quæ vel fingebat, vel ex sectæ suæ hominibus audiverat, atrociter grassabatur, ex scriptis & exoticorum tractatibus phrasibus sumptis, debacchabatur apud auditores in ea delicta, quæ illius auditoribus, quin & nostris moribus & institutis profus non sunt cognita, & hoc quidem præpostero zelo mire sibi placebat. Monitus videbatur respuisse, præsertim cum theses & quæstiones propositas manu propriâ subscriptâ confirmasset; quo apud eos, qui ex Candore suo Christiano alios æstimant, rem eo perduxit, ut jam in ordinem sacrum adsciscendus esset. Sed cum jam jam putaret, se, quod voluerat, obtinuisse; mox ad ingenium rediit, & adeo enormiter, ut id unicè egisse videretur, quo apud auditores pastores & Ecclesiæ ministros invisos redderet. Vocatus ad Censuram, negavit id, quod sermo ejus scriptus testabatur, ferociter obloqui cœpit, ut sine periculo anima-

animarum non crederetur ulterius præesse posse officio sacro. De hinc animum totum ed applicuit, ut institutis à se conventiculis præesset in Kleinii ædibus; ex literis quoque nonneminis innotuit, ipsum clam voluisse irrepere cuidam Ecclesiæ, ut in officio ludimoderatoris etiam juventutem corrumpere. Intererant hujus congressibus promiscuè viri & mulieres, studiosi quidam & ancillæ; & erat hic eo ingenio, ut homines, quorum mores innocentes satis fuerant, pertractos in suas partes mire fascinaret, non contentus id facere in urbe; nisi & extra urbem & in locis paulo longius diffitis infectos jam pejus perderet, & inficere alios conaretur, prout literæ à Magistratu nostro inelyto communicatæ testantur; unde forte mox ex plurimorum voto, ulteriorem historiam dabit Venerandus Dn. D. Zentgravius C. E. Præses & Collega noster summo honore prosequendus.

§. 19.

De autoribus & propagatoribus conventiculorum apud nos hæc sufficiant: aliis adhuc parco, alios quod noti sunt non nominavero, nisi forte apud externos vindicanda veritas fama que sit, contra falsos rumores, vel calumnias, quibus apud viros graves, onerari innocentes, auditum est. Hinc ergo ad institutum ipsorum progredimur, ubi de membris & locis quædam adhuc commemoranda erunt. Initio quidem conveniebant, ut die dominico, finitis sacris publicis de Concione habitata dissererent; sed cum jam invilum esset ipsis ministerium, perstringebant omnes, nisi suæ sectæ homines. Et cum multos culpate non possent, objiciebant istis metum ex hominibus, Nicodemos appellabant, quod pie & viverent & hortarentur suos auditores; sed suo cætui se nollent adungere; quasi in solis angulis apud ipsos pietas remansisset, ab omnibus aliis & ædibus & hominibus profligata. Et hæc agebantur etiam aliquando ad Cœnam & pocula, quod illi norunt, in quorum ædibus post natalitia Christi libellus pro Catechumenis distributus miris sarcasmis irrisus subductisque lineis acri censura fuit perstrictus. Alias in Conventiculis præmisso voto, vel precibus legebatur caput ex Scriptura S. vel psalmus

§. 19.
Institutum
&
Dogmata

C

qui-

quidam; post explicationes subjungebantur vel à Studiosis, vel à Sutore & Sartore; mulieres vel ancillæ narrabant vel Ecstas, vel quæ domi suæ quoad hanc rem agerentur, neglectis interea domesticis & Oeconomicis rebus. Sed hic non subsistebat furiosa fanaticorum novandi cupido: Scripturæ dicta de piis ad se, de impiis ad omnes alios applicabant, etiam ista quæ DEUS Idololatrico Judæorum populo dixerat, fueratque minatus. Narrabat alius mira de sua conversione media nocte facta; alius recensēbat se precum libellis abjectis ex consilio sectariorum jam ardentem ut alias non posse orare. Ministerium Ecclesiæ contemnebatur, neglectis publicis sacris instituebantur conventus. Jaciebant convitia in ministros Ecclesiæ, & commodè dicta in pessimum sensum rapiebant. Adiphora prorsus damnabant, risum opus Carnis dicebant & Mundi; ad hilaritatem vinum sumere execrabantur, ipsi interea oblata occasione vinum generosius largius hauriebant. Negabant verbi efficaciam per ministros impios, cantiones suas clam suggerebant hominibus, & sine censura imprimi curabant: & hi tamen ita ad perfectionem pervenire posse, gloriabantur. Liberi quidam detrectabant obsequium parentibus; proximum quemque, nisi suæ sectæ, perstringebant, & commercium cum aliis hominibus vitabant. Nec Leges quædam à superioribus justissimè latæ censuram illorum effugere poterant; dissentientes audiebant ipsis persecutores, pharisei, homines & Theologi carnales. Juvabant se mutuo pecuniis etiam ad externos missis, ut suis alleclis succurrerent. Peculiares ad sermones sacros eligebant textus, quibus quorundam (ut agebant) vitia perstringerent, & se mutuo hortabantur, ut hoc tramite pergerent, magnam inde gloriam reportaturi. Id autem & privatim & publicè summopere agebant, ut adducerent Pastores in odium auditorum. Spirabant omnia societatem philadelphicam, & amorem sanctissimum, ut & pronuntiare auderent, fere exiguum numerum eorum, qui in urbe salarentur, seque solos esse veræ Ecclesiæ membra. Et quo honore Magistratus suos fuerint persecuti, exemplis aliquot doceri posset, nisi notum esset; & videri ipsis possumus ex vindictæ

ante studio hæc
reletam, & multa p
quam hæc scipisile
et simplicitate poti
elle, scio.

Uthæc sua insti
niam peccatorum
negata perspiceren
per hominum pener
is conflictos tene
præcis, & quidem i
in horis solebant c
erentur. Tempu
laudem ut delicti
piter se colloqui
putabant jam te
res communibus c
fist munitur vor der
wegen besorglich
dem Durchbruch
aco vom Pöbelsche
böse. Nun gehen di
gessen und Hohen i
sehen die Augen at
Eurerey sehen und
sich selber dann den
hat: wir nicht an. I
copie duces eorum ei
publicum damnarer
Magistrans sub tit.
fina ist darin. &
schweblicher Mensc
den Dienst nach de
schädlich verdee
ten. Neuchterlich

dicta studio hæc dixisse; cum tamen nil nisi compertum hic referam, & multa præteream sciens volensque, ne odio cujusquam hæc scripsisse videar; tum & ut plurimis parcam, quos ex simplicitate potius, quam malitia in istos errores pertractos esse, scio.

§. 20.

Ut hæc sua instituta facilius propagarent, commendabant mutuam peccatorum & defectuum confessionem, ut sic mentis cogitata perspicerent, & cum penitus in animum ingeniumque hominum penetrassent, detectis animi secretis, eos vinculis suis constrictos tenebant. Agebant hæc plerumque in ædibus privatis, & quidem interiori ædium parte, sed & in agris, sylvis & hortis solebant convenire, ut securius de rebus suis colloquerentur. Tempus erat destinatum nox sæpius, sed & dies; illa quidem ut delitescerent, hæc vero, ut durante cultu publico ipsi inter se colloqui possent, præsertim eo successu temporis, ubi putabant jam se in tuto collocatos esse, vel ut Haugius in locis communibus cum aliis gloriatus est, diese (Orthodoxer) sind nunmehr vor der ehrbaren Welt und sonderlich verständigen Regenten besorglich sehr unangenehm/ und solls noch vielmehr bey dem Durchbruch des allgemeinen Lichts werden. Et alio in loco vom Pâbstischen opere operato im Kirchen gehen/ hæc habet, Nun gehen durch Gottes wunderbare Hand vielen und grossen und Hohen in der Welt/ sonderlich der protestirenden Kirchen die Augen auff/ daß sie ihre bisherige Verführung und Selaveren sehen und mit Händen greiffen/ und das anbrechende Licht stehet dann den Feinden alles Gutes/ sonderlich der Freyheit/ gar nicht an. Hæc vero loca & tempus ed quoque præcipue duces eorum eligebant, quod templa nostra cultumque publicum damnarent: Hæc enim verba sunt in Locis Comm. Haugianis sub tit. Kirche/ Tempel. Der Greuel der Verwüstung ist darinn. Ist so groß und unlaugbar/ daß sich ein natürlich redlicher Mensch dessen schâmen möchte. Ist also der Kirchen-Dienst nach der heiligtigen praxi nicht nur unnôthig/ sondern gar schâdlich verderblich und verdammlich. sub tit. Kirchen gehen. Heuchterischer Antiepietismus halt viel von der lieben

§. 20.
Tempus & locus.

Kirchen/dann dero Heiligkeit ist gebunden an gewisse Ort. Quæ & alia plura satis ostendunt, qua mente cultu publico posthabito, illud tempus etiam sibi delegerint, ne sacris publicis vacare possent.

§. 21.
FATA.

§. 21.

Paucis jam etiam Fata horum & Conventiculorum & auctororum recensere animus est, & quidem non omnium, sed eorum tantum quorum in ipsa disputatione hac mentio facta est. Cum an. 1701. d. 9. Martii **Johann Heinrich Krafft** decreto Inclyti Magistratus urbe excedere jussus esset, disturbati parum conventus sunt, atque ab eo tempore aliqui ad sanam mentem redire videbantur, aliis in eodem luto adhuc hærentibus. Sed postquam hæc ipsa secta in **Friderico Klein** vires denuo novas lumeret, idem anno 1703. d. 13. Januarii decreto publico relegatus est; & hinc quoque compressis hominum istorum conatibus, alius se abdere cœperunt, ut viderentur nonnullis quiescisse isti motus, aliis vero plane extincti esse, quanquam judicio, ut eventus ostendit, infelici. Cum enim jam latius serperet hic morbus & in apertum schisma videretur erumpere, turbatis multorum civium animis ex decreto Illustris Senatus d. 21. Februarii 1705. **Johann Friderich Haug** è carcere eductus & in perpetuum relegatus est. Nec meliora fata fuerunt **Michael Aeckerlin**; cum enim in hujus ædibus diu multumque conventicula acta essent, is convictus ex eodem decreto Illustris Senatus d. 23. Martii 1705. è carcere eductus & in perpetuum relegatus est. Atque hæc fata omnia secundum acta & probata ex sapientissimo & justissimo Senatus consilio & decreto ipsis evenerunt.



